



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

II. Omissa disputatione de antiquitate urbus & Ecclesiæ Arelatensis, omissa quoque contentione quæ inter Arelatensem Viennensemque Ecclesias fuit propter ordinationes Episcoporum provinciæ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

clius earundem provinciarum, quorum congregandorum potestas ei committitur, injungitur verò cura mittendi relationem de majoribus causis ad sedem apostolicam. Scribitur Episcopis per eas provincias constitutis uti Arelatenfì obediunt tanquam Romani Pontificis Vicario, ne quis ignorantia prætextu se tueri possit. Hæc autem omnia supra vidimus adita esse circa Episcopum Thessalonicensem. Nunc itaque ad rem ipsam aggrediamur.

II. De antiquitate & claritudine urbis Arelatenfìs cum multi multa dixerint, & ex professo eam Spartam ornaverint Petrus Sapius Canonicus Arelatenfìs Ecclesiæ, non est quòd me torqueam in congerendis hoc loco monumentis veteribus ad asserendam dignitatem ejus. Nihil etiam dicam de antiquitate Ecclesiæ, quæ se institutam & abundantam contendit à Trophimo Pauli Apostoli discipulo; quòd ea pars historiæ ecclesiasticæ, si quis eam curiosius scire desiderat, à viris doctissimis tractata sit copiosè & abundanter, novissimè verò etiam ab illustrissimo Archiepiscopo diligenter examinata in epistola scripta ad clarissimum virum Henricum Valesium. Omittam quoque contentionem quæ vetustis temporibus fuit inter Arelatenfem Viennensèmq; Ecclesiæ propter ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensìs, nisi quatenus ea conjuncta erit cum causa vicariatus Romani, de quo unico, relietis ceteris quæstionibus, tractare convenit in hoc libro.

III. Patroclus Arelatenfìs urbis, in qua tum constituta erat sedes Præfecturæ Galliarum, antistes sub umbra istius dignitatis civilis, ac si Præfecturam sacerdotalis honor sequi deberet, aliquam prærogativam sibi Ecclesiæque suæ conciliare conatus est, quò non solum primum ubique locum obtineret inter Episcopos Gallicanos, sed etiam super eos efferreretur. Ea de causa Zozimi Romani Pontificis auctoritatem imploravit, eo colore quæsito, quòd Trophimus Arelatenfìs Episcopus in Galliis primus annuntiasset Christi fidem, ex cujus fonte totæ Galliæ fidei rivulus acceperunt, adeoque æquum esse ut illius in ea cathedra successor præcipuum ali- quod honoris auctoritatisque privilegium haberet in Ecclesia Gallicana. Prætendebat antiquitatem, qua etiam ritus quoquo modo inducti defenduntur, ut ait Tacitus; eamque confirmari postulans, sedi suæ vindicare studuit ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensìs & duarum Narbonensium. Zozimus, habita ratione temporum, annuendum censuit postulatis, datæque anno CDXVII. epistola ad univèrsos Episcopos per Gallias

Tom. II.

& Septem provincias constitutos, non solum ordinationes Episcoporum earum provinciarum concessit Patroclo, sed etiam statuit ut quicumque ex clero ad Romanam Ecclesiam aliòve accedere cogitaret, non aliter id faceret quàm cum epistola formata Episcopi Arelatenfìs, cui etiam commisit judicium causarum quæ in provinciis illis emergerent, hoc tamen addito, ut de majoribus causis referret ad sedem apostolicam. Quòd imitatum est ex mandatis quæ data fuerant Episcopo Thessalonicensem.

IV. Cum huic Zozimi epistolæ debeantur initia vicariæ dignitatis Episcoporum Arelatenfium, operæ pretium est eam diligenter & accuratè expendere. Incipiamus igitur ab epistolis formatis. Fortè acciderat per eas tempestates ut impostores quidam, qui se asserabant Episcopos sive Presbyteros esse aut omnino in ordine ecclesiastico constitutos, Romam profecti ex Galliis, titulo sibi in sanctitatis inscripto, in nomen venerationis irrepsissent, & indebitam reverentiam promeriti fuerint, eo nimirum honore excepti ab Ecclesia Romana qui sanctissimi ordinis viris per ea tempora tribuebatur. Zozimus in posterum esse providendum ratus, ne deinceps istiusmodi homines ausu sacrilego in nomen venerationis irrepererent, mansura in ævum constitutione sancivit ne quis sub quolibet ecclesiastico gradu constitutus exiret è regionibus Gallicanis absque literis formati Episcopi Arelatenfìs, quibus iste significaret eum qui peregrè iret, in clero constitutum esse, tum etiam de sacerdotio ejus, si Episcopus esset, alioqui de loco ecclesiastico certiores faceret Episcopos earum partium ad quas ille proficisci cogitaret, ut condigna ei reverentia tribui ab illis posset. suscipiendum enim non esse si veniret absque formata Metropolitanì Arelatenfìs. Hæc sunt verba Zozimi, emendata ex fide vetustissimi codicis M S. Bibliothecæ Regiæ. Nam editiones in hoc loco sanæ non sunt, tamen eundem sensum referant. *Placuit apostolicæ sedi, inquit Zozimus, ut si quis ex qualibet Galliarum parte sub quolibet ecclesiastico gradu ad nos Romam venire contendit, vel aliò terrarum ire disponit, non aliter proficiscatur nisi Metropolitanì Arelatenfìs Episcopi formata acceperit, quibus sacerdotium suum vel locum ecclesiasticum, quem habet, scriptorum ejus ad stipulationem perdoceat. Quòd ea gratia statuimus, quia plurimi Episcopos, Presbyteros, sive Ecclesiasticos simulantes, quia nullum documentum extat per quòd valeant confutari, in nomen venerationis inrepunt, & indebitam reverentiam promerentur. Quisquis igitur, fratres carissimi, prætermissa prædicti formata, sive Episcopus, sive*

M

Vide in lib. 8. cap. 17. §. 71.

De epistolis formatis vide Bernardinum Ferrarium in lib. 1. de antiq. ecclesiast. epist. gener. 20. cap. 5.

lib. 1. §. 71.